

OFFICIA PROPRIA  
IN USUM  
DIŒCESIS  
FULDENSIS

PARS VERNA



1932

RATISBONÆ  
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET  
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI

## FULDEN.

Quum ultimis hisce temporibus ad Diœcesim Fuldensem aliquæ translatae sint regiones sat extensæ, Rev<sup>mus</sup> Dominus Josephus Damianus Schmitt, ejusdem Diœceseos Episcopus, ut in divini Officii recitatione ac Missæ celebratione conformitas quam maxime servaretur, novum Proprium Officiorum ac Missarum, Calendario rite probato respondens, paravit et Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ XI subjecit insimul postulans ut ipsum Proprium approbare et concedere dignaretur. Sacra porro R<sup>itum</sup> Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, hoc Proprium Officiorum ac Missarum rite revisum et emendatum probavit, illudque ab universo clero sæculari Diœceseos Fuldensis atque a religiosis Familiis Calendario Diœcesano legitime utentibus, in horis canonicis persolvendis ac Missæ Sacrificio litando, in posterum servari mandavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Septembris 1931.

(L. S.)

sign. C. Card. Laurenti, S. R. C. Præfect.

sign. Henricus Dante, Subs.

## APPROBATIO

Concordat cum Originali approbato.

Fuldæ, die 22 Novembris 1931

† Joseph Damianus Ep. Fuldensis

## IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 26 Novembris 1931

Dr. Höcht Vic. Gen.

# OFFICIA PROPRIA DIOECESIS FULDENSIS

## PARS VERNA

Die 13 Februarii

S. Gregorii II

Papæ et Conf.

Duplex

In I Vesperis

V. Amavit eum Dóminus, et ornavit eum. R. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio



Deus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem fidei defensórem et Apostólicæ sapiéntiæ ac firmitátis exémplum in Ecclésia tua constituísti: largire nobis, quæsumus; ut ómnia advérsa pro nóminis tui glória húmili corde sustinéntes, æternitátis glóriam

consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Nomen eórum permanet in ætérnum, permanens ad filios eórum, sanctórum virórum glória.

V. Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. R. Semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genitrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum ejus familia Ecclésiam tuam fecundásti: concéde propítius; ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gaudiis. (Qui vivis.)

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

## Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones  
Fidelis sermo, de Communi  
I loco.

In II Nocturno  
Lectio iv

**G**regorius, hujus nominis secundus, natione Romanus, a pueritia in Lateranensi patriarchio divino cultui addictus, subdiaconi primum, tum sacellarii bibliothecarique munere functus est. Ad diaconatus ordinem promotus, Constantinopolim una cum viro sancto Constantino Papa profectus est, ubi plures a Justiniano imperatore propositas questiones prudenter et erudite solvit. Ad supremum pontificatus gradum anno salutis septingentesimo decimo quinto evectus, Urbis moenia reparavit, multas basilicas reparavit, aliqua monasteria, ad solitudinem prope deducta, innovavit. Immo post mortem Honestæ matris propriam domum in monasterium commutavit. Corbiniânum et Bonifatium, viros apostolicos, in Germaniam misit ad predicandum Christi Evangelium eosque episcopos consecravit.

Géminam synodum Romæ habuit, alteram adversus illicita conjugia, alteram adversus Iconoclastas.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus.

## Lectio v

**L**eonem Isaurum, sacrum imaginum destructorem, ab illa hæresi removere omnique illum officiorum genere sibi demereri studuit, cum tamen hic optimum Pontificem neci tradere et auro ac muneribus corrumpere non semel frustra tentasset. Luitprando regi, interea cum exarcho ad excidium Urbis properanti, sanctissimus Pontifex, Dei fretus presidio, ad prata Nerónis occurrit, et piis monitis regis animum ita molivit, ut non jam hostis, sed pius adorator ensem et coronam principi apostolorum obtulerit. Cum autem imperator destructionem machinaretur, eundem diro anathemate percussit, et inito cum Francis federe ab impio molimine deterruit. Rebus demum præ-

clare gestis, quibus maximis prædecessoribus suis æquiparatur, pie obiit in Domino, sexto pontificatus anno, et in basilica Vaticana conditus est.

R. Pôsui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

## Sermo sancti Maximi

## Episcopi

## Homilia 59

## Lectio vi

**A**d sancti ac beatissimi Patris nostri Gregorii, cujus hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid, decerpisse est; siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura: Glória patris est filius sapiens; quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro pec-

catis omnium populorum. V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigilæ, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

## IX Lectio de Homilia Feriæ.

## Ad Laudes

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. R. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

## Oratio

**D**eus, qui beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem fidei defensorem et Apostolicæ sapientiae ac firmitatis exemplum in Ecclesia tua constituisti: largire nobis, quæsumus; ut omnia adversa pro nominis tui gloria humili corde sustinentes, æternitatis gloriam consequamur. Per Dominum nostrum.

Et fit Gom. Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis, Feriæ et S. Valentini Presbyteri et Mart.

Die 14 Februarii

S. Valentini

Ep. et Mart.

Duplex

In I Vesperis

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. R. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

I nfirmitátem nostram respice, omnipotens Deus: et, quia pondus própriæ actionis gravat, beáti Valentini Mártyris tui atque Pontificis intercessio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Dum esset Summus Póntifex, terréna non méruit, sed ad cælestia regna gloriósus migrávit.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. R. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

D eus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem fidei defensórem et Apostólicæ sapiéntiæ ac firmitátis exéplum in Ecclésia tua constituísti: largíre nobis, quæsumus; ut ómnia advérsa pro nóminis tui glória húmili corde sustinéntes, æternitátis glóriam consequámur. (Per Dóminum.)

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

Postea fit Commemoratio S. Valentini Presbyteri et Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

V. Justus ut palma florébit. R. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

P ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui beáti Valentini Mártyris tui natalicia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones A Miléto, de Comuni 1 loco.

In II Nocturno  
Sermo sancti Augustini  
Episcopi

Sermo 44 de Sanctis

Lectio iv

**T**riumphális beáti Mártyris Valentini dies hódie nobis

anniversária celebritáte recúrrit; cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestigia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt: induráta vidélicet tortóris sævitia, et Mártyris invicta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur; patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Áudi Psalmístam advérsus malítiam increpántem: Noli æmulári in malignántibus, quóniam tamquam fænum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem æternam. V. Descendít-

que cum illo in foveam, et in vinctulis non dereliquit eum. Et.

Lectio v

C oronáta itaque est beáti Mártyris patiéntia: mancipáta est æternis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc attendéns in agóne suo gloriósus Christi Athléta, non exhóruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiões, flagélla non tímuit, et quot ante mortem pro Christo pértulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propináte Apóstolo bíberat, alte retinébat: Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis; et Quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, æternum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffábiliter afféctus, dicébat cum Psalmísta: Quid mihi est in cælo, et a te quid volúi super terram? Defécit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Dómine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et.

Lectio vi

Contemplabatur enim quantum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ civitatis gaudia: et ea enarrare non sufficiens, admirando clamabat: Quid mihi est in cælo? Quasi diceret: Excédit vires meas, excédit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis, a conturbatione hominum remotis, in abscondito faciæ suæ Jesus Christus Dóminus noster reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Hujus perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebatur supplicium: et si milles posset mori, non putabat se hanc digne posse aliqua ratione promereri.

— Mártiris autem Valentini caput in oppido Kyderacensi asservatur, et magno populi christiani concursu religiose colitur. Nonnullæ aliæ sancti Mártiris reliquiæ in ecclesia cathedrâli Fuldensi asservantur et hac die a fidelibus pie coluntur.

R. Stola jucunditatis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. V. Cibavit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno


Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 26-33

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ

Homilia 37 in Evang.

i consideremus, fratres carissimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in

cælis, vilésunt ánimo ómnia quæ habentur in terris. Terræna namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporális vita, æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ múnere lætari?

R. Coróna aurea super caput ejus, \* Expressa signo sanctitatis, glória honoris, et opus fortitudinis. V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio viii

Sed ad hæc audita inardescit animus, jamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere.

Sed ad magna præmia pervenire non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egrégus prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Deléctet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non detéreat certamen laborum. Unde ad se venientibus Veritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sanguinem suum fudit: \* Qui minas júdicum non tímuit, nec terrænæ dignitatis glóriam quæsivít, sed ad cælestia regna pervénit. V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

Ad Laudes

V. Justus ut palma florébit. R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit\* animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

## Oratio

**I**nfirmiſſimam noſtram reſpice, omnipotens Deus: et, quia pondus propriæ actionis gravat, beati Valentini Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Feriæ: Deinde fit Com. S. Valentini Presbyteri et Martyris:

**Ant.** Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat ſupra firmam petram.

**V.** Glória et honore coronasti eum, Domine. **R.** Et conſtituisti eum ſuper opera manuum tuarum.

## Oratio

**P**ræſta, quæſumus, omnipotens Deus: ut, qui beati Valentini Martyris tui natalicia colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus interceſſione, liberemur. Per Dominum.

## In II Vesperis

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

**Ad Magnif. Ant.** Qui vult venire post me, \* abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me.

Et fit Com. Feriæ.

Deinde Ss. Faustini et Jovite Mm.:

**Ant.** Iſtorum eſt enim regnum cælorum, qui contempſerunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas ſuas in ſanguine Agni.

**V.** Lætâmini in Domino et exultate, juſti. **R.** Et gloriâmini, omnes recti corde.

## Oratio

**D**eus, qui nos ânua ſanctorum Martyrum tuorum Faustini et Jovite ſollemnitâte lætificas: concede propitius; ut, quorum gaudemus méritis, accendâmur exemplis. Per Dominum.

Die 3 Martii

## S. Cunigundæ

Virginis

Duplex

## In I Vesperis

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Intende, prospere procede, et regna.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* accipe coronam, quam tibi Domini præparavit in ætérnum.

## Oratio

**D**eus, qui beatæ Cunigundæ Virgini tuæ terréna despiciere, et ad

cælestis impérii culmen anhelare tribuisti: concede, quæsumus; ut, ejus imitatione, calcatis mundi illécebris, ad gaudia ætérna ſecuri pervenire valeamus. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

## Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones De virginibus, de Comuni 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

**C**unigunda, Sigefridi Palatini filia, etsi ſancto Henrico Romanorum imperatori in matrimonium collocata, tamen, eodem annuente, in tactum virginitatis florem ætérno Regi consecrâsse refertur. Viro suo ſancto in fundatione Ecclesiæ Bambergensis studiosissime cooperans, ſancto Michaeli, Apostolorum principibus et Protomartyri Stephano Basilicas ædificavit ac vectigali perâmplo dotavit. In loco, qui dicitur Kaufungen apud Cassellas in Hæssia monialibus sancti Benedicti magnifice construxit monasterium, quo ipsa postea confugit.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. **Et.**

Lectio v

**I**n ſignem quoque in pauperes beneficentiam ostendit: veram enim se orphanorum et languentium omnium parentem præbuit. Henrico demum vita functo (pro cuius anima sollémnes ubique preces et eleemôsynas ingentes faciendas curavit), abjectis, ut jam dudum optaverat, rerum externarum curis, depôſita pûrpura, præcis crinibus, in monasterio supradicto ab Archiepiscopo Moguntino Aribone virginum sacrarum velum accepit.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

Lectio vi

**P**orro sororibus Deo dicatis veræ submissionis et virtutum omnium exemplo præluxit. Numquam plus quietis, laboris vero non minus quam cæ-

teræ capiēbat. Vigīlias, preces, rerum sacrārum lectiōnem ad multam noc- tem producēbat; fēssaque nōnnisi in strato cilicio quiescēbat. Ergo quīndecim annis in iis labōribus ac virtūtum exercitatiōne consūptis, anno millēsi- mo undequadragesimo ad perpētuum quietem vocā- tur a Dōmino, qui ejus vi- tæ sanctitatem crebris ét- iam mirāculis illustrāvit. Nam et viva cōnōbii in- cēndium crucis signo res- tīnxit, et mōrtua quam plūrimos vāriis morbis af- fēctos, ad suum sepūlcrum pie accedētes curāvit. Sa- crum ejus corpus Bambērg- æ in cathedrāli Ecclēsia religiōse cōnditum asser- vātur.

R. Afferēntur Regi vir- gines post eam, proximæ ejus \* Afferēntur tibi in lætītia et exsultatiōne. V. Spēcie tua et pulchritūdi- ne tua intēde, prospere procēde, et regna. Afferēntur tibi. Glōria Patri. Af- ferēntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sīmile erit reg- num cælōrum decem virgīni- bus, de Communi Virgīnum I loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

### Ad Laudes

V. Diffūsa est grātia in lābiis tuis. R. Propterea benedixit te Deus in ætēr- num.

Ad Bened. Ant. Sīmile est regnum cælōrum \* hō- mini negotiātōri quærēnti bonas margaritas: invēnta una pretiōsa, dedit ōmnia sua, et comparāvit eam.

### Oratio

Deus, qui beatā Cuni- gundæ Virgini tuæ terrēna despīcere, et ad cælēstis impērii culmen anhelāre tribuisti: concē- de, quæsumus; ut, ejus imitatiōne, calcātis mundi illēcebris, ad gāudia ætēr- na secūri pervenire valeā- mus. Per Dōminum.

Et fit Commemoratio Fe- riæ.

### In II Vesperis

V. Diffūsa, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, \* accipe corōnam, quam tibi Dōmi- nus præparāvit in ætērnum.

Et fit Commemoratio se- quentis:

Ant. Similābo eum viro sapiēnti, qui ædificāvit do- mum suam supra petram.

V. Amāvit eum Dōmi- nus, et ornāvit eum. R. Stolam glōriæ induit eum.

### Oratio

Deus, qui inter regāles delicias et mundi illē- cebras sanctum Casimī- rum virtūte constantiæ ro- borāsti: quæsumus; ut, ejus intercessiōne, fidēles tui terrēna despīcant, et ad cælēstia semper aspī- rent. (Per Dōminum.)

Deinde fit Com. Feriæ.

Postea Commemoratio S. Lucii I Papæ et Mart., ut in Breviario.

Die 14 Martii

### S. Mathildis

Reginæ, Viduæ

Duplex

### In I Vesperis

V. Spēcie tua et pulchri- tudine tua. R. Intēde, prospere procēde, et reg- na.

Ad Magnif. Ant. Sīmile est regnum cælōrum \* hōmini negotiātōri quærēnti bonas margaritas: invēnta una pretiōsa, de- dit ōmnia sua, et compa- rāvit eam.

### Oratio

Exāudi nos, Deus, salu- tārīs noster: ut, sicut de beatæ Mathildis festi- vitate gaudēmus; ita pia devotiōnis erudiāmur af- fēctū. Per Dōminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

### Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones Mulierem fortem, de Com- muni.

In II Nocturno

Lectio iv

**M**athildis, ex nōbili Widukūndi genere nata, jamjam puél- la aviæ suæ in monastērio Herfordiēnsi abbatissæ Herforditū educāda. Ubi mirum in modum profici- ens ipsis fere religiōsis in regulāris disciplinæ stū- dio et sanctis opēribus præcellēbat. Eam virtūtis laude præclāram Henri- cus, Ottōnis Saxonum du- cis filius, dignam cēnsuit, quam sibi matrimōnio jūn- geret: et Walhūsii in Thu- ringia celebratæ sunt nūp- tiæ. Henricus post Ottōnis mortem ducātū Saxonum potitus, deinde mōrtuo Conrado rege in impērii dignitate successit atque ita disponēte Deo factum est, ut sancta Mathildis ascēnderet ad honōrem reginæ totiūs Germaniæ.

R. Propter veritatem, et mansuetudinē, et justitiam: \* Et deducet te mi- rabīliter dēxtera tua. V. Spēcie tua et pulchritūdi- ne tua intēde, prospere procēde, et regna. Et.

## Lectio v

**H**inc in honoris cúlmine pósita regina omni genere virtútum, quas in monastério didícerat, mirífice fulsit; in público procéssit ornáta gemmis et sérico, sed intérius gerébat pretiósius ornámentum, cor acceptábile Deo; tantámque súbditis exhibébat humilitátem et in vice matris caritátem, ut ómnibus esset amóri páriter et honóri. Marítum suum fidéli amóre prosecúta tam prudénti consílio quam piis ad Deum précibus adjuvare non déstitit. Filios ei génuít: Ottónem póstea imperatórem, Henrícum Baváriæ ducem eundémque sancti Henríci avum, sanctum Brunónem archiepiscopum, filias dénique plures. Rege devóte defúncto pacis mediátrix fuit inter discórdes filios; quibus dehinc vigilántiam et cohortatiónes indefessa cura semper exhibuit.

R. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. V. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

## Lectio vi

**O**rationi per noctem vacáre non cessábat, sapius íntegrum psaltérium decántans. Ecclésiás munéribus auxit ac páuperum indigéntiis egrégia humilitáte et caritáte sédula áderat. Monastériis Quedlinbúrgi, Nordhúsi aliisque in locis constrúctis ac munífice dotátis, tandem prodígiis clara et benedictióne filiórum nepotúmque cumuláta, Quedlinbúrgi obiit pridie Idus Mártii anno nongentésimo sexagésimo octavo, ibique sepeliérunt corpus ejus in basilica sancti Servátii juxta sepúlcrum Henríci regis cum magno honóre, ubi ipsa decreverat requiescere et diem júdicii exspectare.

R. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. V. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cælórum thesauro, de Comuni non Virginum.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

## Ad Laudes

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. R. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei \* de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

## Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutaris noster: ut, sicut de beátæ Mathildis festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis, Feriæ et S. Zachariæ Papæ et Conf.

## Die 15 Martii

## S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.

## Duplex

## In I Vesperis

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. R. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

## Oratio

**D**eus, qui beátum Clementem Mariam miro

fidei róbre et invictæ constantiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exemplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Manum suam apéruit inopi, et palmas suas extendit ad páuperem, et panem otiosa non comédit.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. R. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

## Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutaris noster: ut, sicut de beátæ Mathildis festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Póstea S. Zachariæ Papæ et Conf.:

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. R. Et osténdit illi regnum Dei.



## Oratio

**D**eus, qui beáto Zachariae, mitíssimo Fílii tui Vicário, admirándam mansuetúdinem tribuísti: concéde; ut, cujus gloriósa mérita venerámur in via, destinátum mítibus præmium consequámur in pátria. Per Dóminum.

## Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones  
Beátus vir, de Comuni  
1 loco.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**C**lemens María Hofbauer Tassovítii in Morávia natus, a prima ætáte in schola christiánæ perfectiónis eruditus est; magístra potíssimum religiosíssima matre, quæ puérulum post patris óbitum osténsa Christi Dómini e cruce pendéntis imáagine sic allocúta fertur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futúrus est pater, cura, ut per eam, quæ ipsi placet, viam incédas. Adoléscens pistóriam artem dídicit; sed ad majóra se vocári præsentíens cœpit inter laboriósæ artis exercítium ad stúdiúm incúmbere litterárum. Bis Romam pedes ad límina

Apostolórum peregrinátus est, bis étiam rerum cæléstium contemplatióni libérior vacatúrus in erémum secéssit. Verum Deo illum ad altióra vocante intermíssa litterárum stúdia in Vindobonénsi Universitaté repétiit, navitérque prosecútus est; donec ex purióre fonte sacras disciplínas haustúrus, Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi famíliam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsius ópera in díssitas regiónés propagátum iri sanctus idem Parens divíno instíntu præsensit ac palam prænuñtiávit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

## Lectio v

**A**bsolúto cum magno spírítu fervóre tirocínio ac présbyter factus in septentrionáles Európe províncias a Sede Apostólicá missus est. Erécto Varsáviæ in Polónia primo suæ

## Lectio vi

**D**eo soli confisus, plures institúti sui domus váriis in regiónibus eréxit. Ipse vero multas, ob téporum iniquitátem, acerbítates perpéssus, et e Polónia tandem cum suis expúlsus, secéssit Vindobónam, ubi duódecim postrémis vitæ annis, ad Dei glóriam strénue operári perseverávit. Præter sédulam enim sanctimoniálíum Vírginum curam totus in eo fuit, ut prædicatíone verbi Dei, sacraménti Pæniténtiæ administratíone, quam plúrimas a salute dévias ánimas Christo lucrifáceret. Quem caritátis ígnem, tum sacerdotibus, tum máxime seléctæ júvenum cohórti, quorum complúres suum Congregatióni nomen dedérunt, infúndere adlaborávit. Illud autem indeféssa sua ópera consecútus est, ut languescéntem pópuli fidem catholicúmq; spírítum non parum illa ætáte imminútum, corroboráret; dignus propterea, quem Pius séptimus virum apostólicum, Vindobonénsis cleri decus, Ecclesiæque cólumen appelláret. Méritis tandem plenus, et prodigiórum

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. **Et.**

aliorúmque cælestium charismatum múnere illústris, prope septuagenárius obdormívit in Dómino, Idibus Mártiis, anno millésimo octingentésimo vigésimo. Eum Leo décimus tértius, miráculis clarum, Beatórum catálogo, Pius vero décimus novis fulgéntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. V. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timére, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

### Ad Laudes

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. R. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

### Oratio

Deus, qui beátum Clementem Mariam miro fidei róbre et invictæ constantiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate fervéntes; ut præmia consequámur æterna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde S. Zachariæ Papæ et Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. R. Stolam glóriæ induit eum.

### Oratio

Deus, qui beato Zachariæ, míssimo Fílii tui Vicário, admirándam mansuetúdinem tribuísti: concéde; ut, cujus gloriósa mérita venerámur in via, destinátum mítibus præmium consequámur in pátria. Per Dóminum.

### In II Vesperis

V. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum \* et terréna, triúmphans, divi-

tias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commem. Feriæ.

### Die 27 Aprilis

#### S. Petri Canisii

Confessoris et Ecclesiæ  
Doctores

Duplex II classis (m t. v.)

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ habentur propria in Breviario universalis Ecclesiæ.

In II Vesperis fit Commemoratio sequentis tantum (S. Pauli a Cruce).

### Die 1 Maji

#### S. Walburgæ Virginis

Commemoratio

Lectio ix

Walburgis Abbatissa monastérii Heidenheim, Eystetténsis diocesis, soror sancti Willibál-di, Episcopi Eystetténsis, nata in Anglia, virgo sanctíssimæ conversatiónis atque multis virtútibus et signis clare enítuit. Ad declarándam ejus sanctitatem Deus vária beneficia pie peténtibus sub ipsius patrocínio cleménter cóntulit. Obiit quinto Kaléndas Mártii in monastério suo, ubi corpus ejus primo

cónditum est. Póstea vero sacræ ejus reliquiæ Kaléndis Maji Eystádium translátæ perénni fulgent miráculo.

Te Deum laudámus.

In Laud. Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiátóri quærénti bonas margaritas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. R. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum, allelúja.

### Oratio

Exáudi nos, Deus, salutaris noster: ut, sicut de beátæ Walburgæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

### Die 4 Maji

#### S. Godehardi

Ep. et Conf.

Commemoratio

Lectio ix

Godehárdus, ad Altáchi-gum inférius in Bavária honéstis paréntibus natus, ibídem primum sacrórum

órdinum gradum adéptus, religionem profitebatur, a sancto Wolfgango sacerdotio initiatus, tandem cœnobio præficitur. Inde, suadente Willigiso Moguntiae archipræsule, Hersfeldensis cœnobii reformatio ei commissa est, quam septennii decursu feliciter perfecit. Ad suos denuo reversus, invitus Hildesiensis Ecclesiæ curam pastoralem, ineunte anno millésimo vigésimo secundo, suscipere debuit. Hanc infulam vitæ sanctimonia et miraculorum glória plurimum exornavit. Tandem, jam obitum præsciens, clerum ad se convocatum ad zelum religionis et vitæ integritatem cohortatus, in die Ascensionis, dum in Matutinis caneretur: Ascendo ad Patrem meum, múnere et vita gloriósus defunctus est, anno millésimo trigésimo octavo. Quem Innocentius secundus Pontifex Máximus Sanctorum fastis adscripsit. Te Deum laudamus.

In Laud. Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dóminus, allelúja.

V. Justum deduxit Dó-

minus per vias rectas, allelúja. R. Et ostendit illi regnum Dei, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui nos annua beati Godehardi Confessoris tui atque Pontificis sollemnitate lætificas: præsta, quæsumus; ut, qui tui nominis devotus exstitit prædicator et rector, pro nobis perpetuus exsistat intercessor. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Maji

### Sancti Joannis Nepomuceni Martyris

Duplex majus

#### In I Vesperis

V. Sancti et justi, in Dómino gaudete, allelúja. R. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Lux perpétua \* lucébit Sanctis tuis, Dómine, et æternitas temporum, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da nobis, ejus intercessione et exemplo, linguam caute

custodire; ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis (S. Joannis Bapt. de la Salle Conf.):

Ant. Hic vir despiciens mundum et terræna, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu, allelúja.

V. Justum deduxit, ut supra.

#### Oratio

Deus, qui, ad christianam pauperum eruditionem et ad juventam in via veritatis firmandam, sanctum Joannem Baptistam Confessorem excitasti, et novam per eum in Ecclesia familiam collegisti: concede propitius; ut, ejus intercessione et exemplo, studio gloriæ tuæ in animarum salute ferventes, ejus in cælis coronæ participes fieri valeamus. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. (semiduplex):

Ant. Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

V. Amavit eum Dóminus, et ornavit eum, alle-

lúja. R. Stulam gloriæ induit eum, allelúja.

#### Oratio

Auxilium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placatus impende: et, intercessione beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diaboli nequitas dexteram super nos tuæ propitiatiónis extende. Per Dóminum.

### Ad Matutinum

In II Nocturno

Lectio iv

Joannes Nepomuci, Bohemiæ oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, a parentibus ætate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referébant acceptum, e vitæ periculo evásit incolumis. Egrégia índole, piæque institutione cælestibus indicis obsequente, inter sanctas religiosásque exercitatiónes pueritiam egit; nam ecclesiam frequenter adire, ac sacerdotibus ad aras operántibus ministrá-

re in deliciis habébat. Zatécii poliioribus litteris ad humanitatem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplinis excultus, philosophiæ, theologiæ sacrorúmque cánonum magistérium et láuream emérui. Sacerdotio iniatiátus, atque a sciéntia Sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addixit. Cum igitur in vítiis exstirpándis, et revocándis in viam salutis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánæ ecclésiæ Pragénis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi provinciám suscepit, eo succésu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

**R.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum, allelúja. **V.** Lætítia sempitérna erit super cápita

eórum: gáudium et exsultatióem obtinébunt. Et.

#### Lectio v

**R**égiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessisset, atque in vítia præceps abríperétur, piæ vero cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judicio sacerdoti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei minister blandítiis primum, tormentis deínde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditati fórtiter óbstetit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab exsecrándo propósito nec humana nec divína jura deterrérent, suprénum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in contióne de impendéntibus étiam regni calamitatibus admónito, non obscére prænuntiávit. Mox Bolesláviam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem antiquo cultu célebrem, cælesté præsidium ad certán-

dum bonum certámen effúsus précibus implorávit. Inde vespere reverténtem in pervigílio Dominicæ Ascensiónis rex e fenestra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si oblectári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constantia terróres mínasque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfuens noctu dejectus, illústrem martyrii coronám est consecútus.

**R.** In servis suis, allelúja. \* Consolábitur Deus, allelúja. **V.** Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

#### Lectio vi

**S**acrilegum fácinus clam patrátum, et Mátyris glóriam insigne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmíne vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuerunt. Quam ob rem ex aréna postridie mane corpus elátum, canónici deínde, regis iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám sollémni pompa intulérunt, et se-

putúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti sacerdotís memória miraculis, et máxima fidélium, eórum præcipue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceat, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiujacúerat, lingua ejus incorrupta et vívida reperta est: quæ sexto post anno judicibus a Sede apostólica delegátis exhibita, novo prodigio repénte intúmuit, et subobscurum rubórem in purpúream commutávit. His itaque aliisque signis rite probátis, Benedictus décimus tértius Póntifex Máximus die décima nona mensis Mártii, anno salutis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentalis sigílli assertórem, arcáni fidem sanguine obsignántem, sanctórum Mátyrum catálogo adscrípsit.

**R.** Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mátyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus \* In die sollemnitátis et lætítiae, allelúja. **V.** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit fi-

lios tuos in te. In die sollemnitatis et lætitiæ, allelúja. Glória Patri. In.

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non sciatur. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii  
Episcopi

Comment. in Matth., can. 10  
post medium

**D**ominus diem iudicii ostendit, quæ abs-trusam voluntatis nostræ conscientiam pro-det; et ea quæ nunc oc-culta existimantur, luce cognitionis publicæ dete-get. Igitur non minas, non consilia, non potestates in-sectantium monet esse metuendas; quia dies iudicii nulla hæc fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, di-cite in lumine; et quod in aure auditis, prædicæte super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tra-

didisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, et verbum ejus infidelibus nox est.

R. Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. V. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui.

Lectio viii

**I**taque id quod a se dictum est, cum libertate fidei et confessionis vult esse loquendum. Idcirco, quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine; ut, quæ secreto aurius commissa sunt, super tecta, id est, excelsio loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinæ evangélicæ secretum in lumine prædicationis apostolicæ revelandum, non timentes eos, quibus, cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est; sed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna et animæ et corporis sit potestas.

R. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúja; splendorem Deo dederunt, allelúja: \* Et sicut lac

coagulati sunt, allelúja, allelúja. V. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et. Glória Patri. Et.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis Lectio IX de Homilia Feriæ resp. Vigiliæ et fit ejus Com. ad Laudes; alias

Pro S. Ubaldo Ep. et Conf.:

Lectio ix

**U**baldus, Eugubii in Umbria nobili genere natus, a primis annis pietate et litteris egregie est institutus; jamque adole-scens, ut uxorem duceret, sæpe tentatus, nunquam tamen a proposito servandæ virginitatis recessit. Sacerdos effectus, patrimonium suum pauperibus et ecclesiis distribuit. Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini institutum suscipiens, illud in patriam transtulit. Ab Honorio secundo Summo Pontifice ecclesiæ Eugubinæ invitatus præficitur, et episcopalis consecrationis munere decoratur. Factus forma gregis ex animo, de consueta vivendi ratione nihil admodum immutavit, et in omni virtutum genere enituit. Diu-

tius infirmitatibus afflic-tus, Deo indesinenter grá-tias agébat. Cum multis annis ecclesiam sibi com-missam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus et miraculis clarus, quæviit in pace. Te Deum.

### Ad Laudes

V. Pretiosa in conspectu Domini, allelúja. R. Mors Sanctorum ejus, allelúja.

Ad Bened. Ant. Filiæ Jerúsalem, \* venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die sollemnitatis et lætitiæ, allelúja, allelúja.

### Oratio

**D**eus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da nobis, ejus intercessione et exemplo, linguam caute custodire; ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum in hoc sæculo tollerare. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi:

Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus, allelúja.

V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, allelúja. R. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercessióne beáti Ubalði Confessorís tui atque Pontificís, contra omnes diabóli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In II Vesperis

V. Pretiósá in conspéctu Dómini, allelúja. R. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sancti et justi, \* in Dómino gaudéte, allelúja: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis (S. Paschalis Baylon Conf.):

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúja. R. Stolum glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Paschálem Confessórem

tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius; ut, quam ille ex hoc dívino convívio spíritus percépit pinguédinem, eándem et nos percípere mereámur. (Qui vivis.)

Deinde Com. S. Ubalði:

Ant. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolum glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

V. Justum deduxit, ut supra.

Oratio Auxílium tuum, ut supra.

Die 5 Junii

S. Bonifatii

Episcopi et Martyris,

Patroni principalis Diocesis Fuldensis

Duplex I classis cum Octava communi

In I Vesperis

Antiphona 1

**R**eplétus sum \* fortitúdine spíritus Dómini, ut annúntiem Jacob scelus suum, allelúja.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum.

2 Collocávit me \* Dóminus cum princípibus pópuli sui, et dedit mihi testaméntum sacerdotií ætérni, allelúja.

3 Superabúndo gáudio \* in omni tribulatióne, allelúja.

4 Verbum Dei \* non est alligátum: ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, allelúja.

5 In protectióne \* viri sancti commorémur, et lætémur in benedictióne ipsíus, allelúja.

Capitulum Is. 52, 7

Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: regnábit Deus tuus.

Hymnus

Quantis nostra fides empta labóribus: Quam tot purpúrei sánguine Mártýres

Signátam, cáleant ut sacra pectora,

Transmisére nepóibus.

Hac spirámus adhuc, vívimus hac fide, Hinc spes certa venit, nascitur hinc salus;

Si non degéneres nos séquimur Patrem, Natis laus erit et Patri.

Ex hoc fonte sacro plénius háusimus, Christi Religio móribus íntegra

Ad nos usque redit, plena Deo fluit His doctrína canáibus.

Ætérnum cita mors vívere Mártýri

Dum spondet, próperat Mártýr ovans mori,

Palmam, dum móritur, conséquitur sibi, Nos firmat, docet et mori.

Verus Pastor, oves, sáanguine quas tuo

Fecísti próprias, pasce bonus: regas

Et nos, namque tui te séquimur ducem, Duc in pínguia páscua.

Tuórum cínerum nos sumus et tuæ

Custódes fidei: nos super éxcuba

E cæli spículo, et pátria tua

Nostræ subvénias prece.

Qui nos membra sacri  
córporis éfficit,  
Sit laus summa Patri: Laus  
quoque Filio,  
Cujus membra sumus:  
Quo vigor influit  
Membris, laus tibi,  
Spíritus. Amen.

¶ Ora pro nobis, sancte  
Bonifáti. R. Ut digni ef-  
ficiámur promissionibus  
Christi.

Ad Magnif. Ant. Gaude,  
Fulda, \* plaude, Germá-  
nia, Patris tui et Apóstoli  
erudita doctrínis, illustrá-  
ta virtútibus, suffulta pa-  
trocínis, et in eo magnifi-  
ca Dei magnália, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui multitudinem  
populorum beáti Bo-  
nifátii Mártyris tui atque  
Pontificis zelo, ad agnitio-  
nem tui nóminis vocáre  
dignátus es: concéde propi-  
tius; ut, cujus sollémnia  
cólimus, étiam patrocínia  
sentiámus. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

#### Ad Matutinum

Invit. Deum, per beátum  
Bonifátium nos vocántem  
de ténébris in admirábile  
lumen suum, \* Veníte,  
adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exulté-  
mus.

#### Hymnus

Quæ, Bonifáti, tibi sa-  
cra, Martyr,  
Hæc dies Fuldæ pótor re-  
currít:

Tu bonus nostros — tua  
nos propágo —  
Excipe cantus.

Nostra gens, per te mo-  
do christiána,  
Se tibi debet; tibi cæssit  
error;

Luce Germános, patriám-  
que nostram  
Exhilarásti.

Dæmonum cultus, simu-  
lácra divum  
Sacra cum lucis, et adhuc  
madéntes

Sórdido vili pécudum cru-  
óre  
Diruis aras.

Hic labor magnus; sed  
enim feróces  
Et reluctántes pópulos do-  
céri,

Et jugo Christi, tibi luc-  
ta major  
Súbdere gentes.

Impias mentes tenet ob-  
stinátus  
Error, et densis frúitur té-  
nebris:

Fers diem, vulsis melióra  
spinis  
Sémina mandas.

Summa laus Patri; simul  
æqua Nato,  
Qui suo mundum redimit  
cruóre:

Par sit ambórum tibi laus  
per omne,  
Spíritus, ævum.  
Amen.

#### In I Nocturno

Ant. In dilatatione \* veræ  
fidei beátus Bonifátius ac-  
cendébat fidéles, et erat  
die ac nocte meditatio ejus  
in præceptis Altíssimi, al-  
lelúja.

Sub una tantum Antiphona  
in quolibet Nocturno dicuntur  
Psalmi ut in Communi unius  
Martyris.

¶ Sancti et justii, in  
Dómino gaudéte, allelúja.  
R. Vos elégit Deus in he-  
reditate sibi, allelúja.

De libro Ecclesiástici

#### Lectio i Cap. 44, 1-5

**L**audémus viros glo-  
riósos et paréntes  
nostros in genera-  
tione sua. Multam glóriam  
fecit Dóminus magnificén-  
tia sua a sáculo. Dominán-  
tes in potestátibus suis,  
hómnes magni virtúte, et  
prudéntia sua præditi, nun-  
tiántes in prophétis digni-  
tatem prophetárum, et im-  
perántes in præsentí popu-

lo et virtúte prudéntiæ pó-  
pulis sanctíssima verba. In  
perítia sua requiréntes mo-  
dos músicos, et narrántes  
cármina scripturárum.

R. Lex veritátis fuit in  
ore ejus, et iniquitas non  
est invénta in lábiis illius.  
\* In oratione et jejúnio  
ambulávit coram Dómino,  
allelúja. ¶ Erat lucérna  
ardens et lucens in domo  
Dómini. In.

#### Lectio ii Cap. 44, 6-9

**H**ómnes dívites in vir-  
túte, pulchritúdinis  
stúdiu habéntes, pacifi-  
cántes in dómibus suis.  
Omnes isti in generatióni-  
bus gentis suæ glóriam  
adépti sunt, et in diébus  
suis habéntur in laudibus.  
Qui de illis nati sunt, reli-  
quérunt nomen narrándi  
laudes eórum: et sunt quo-  
rum non est memória:  
periérunt quasi qui non fú-  
erint: et nati sunt, quasi  
non nati, et filii ipsórum  
cum ipsis.

R. Assúptus Póntifex  
sollícite curávit se ipsum  
probáblem exhibére Deo.  
\* In doctrína, in integritá-  
te, in gravitáte, allelúja.  
¶ In bonitáte et caritáte  
animæ suæ plácuít Deo  
pro gente sua. In.

## Lectio iii

Cap. 44, 10-15

**S**ed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum. Et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquuntur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

**R.** Locutus est veritatem in corde suo \* Et ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, alleluja. **V.** Dominus sanctum suum mirificavit et scuto manus suae protexit eum. **Et.** Gloria Patri. **Et.**

## In II Nocturno

**Ant.** In vinculis \* non dereliquit eum Dominus, et consolatus est animam ejus, alleluja.

**V.** Lux perpetua lucetbit Sanctis tuis, Domine, alleluja. **R.** Et aeternitas temporum, alleluja.

## Lectio iv

**B**onifatius, antea Winfridus appellatus, apud Anglos natus est exeunte saeculo septimo, et ab ipsa infantia mundum aversatus, vitam monasticam in votis habuit. Cum ejus pater animi saeculi illecebris permutare frustra tentasset, monasterium ingreditur, et sub beati Wolphardi disciplina omnium virtutum ac scientiarum genere imbuitur. Annum agens trigésimum sacerdotio insignitur, ac verbi divini praedicator assiduus, magno animarum lucro hoc in munere versatur. Attamen, regnum Christi adaugere desiderans, continuo flebat ingentem multitudinem barbarorum, qui ignorantiae tenebris immersi daemone famulabantur. Qui quidem animarum zelus cum in dies inextinguibili ardore accresceret, divino numine per lacrimas et orationes explorato, facultatem a monasterii praeposito obtinuit ad Germanicas oras proficiscendi.

**R.** Accinge fortitudine lumbos tuos, et surge et loquere omnia, quae ego

praecipio tibi: \* Exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum et domui Israel peccata eorum, alleluja. **V.** Ecce, dedi verba mea in ore tuo, ut evellas, et destruas, et aedifices et plantes. **Exalta.**

## Lectio v

**E**x Anglia duobus cum sociis navem solvens, Dorestadium in Frisiae oppidum venit. Cum autem bellum gravissimum inter Frisonum regem Radbodum et Carolum Martellum exarsisset, sine fructu Evangelium praedicavit. Quapropter in Angliam reversus, ad suum rediit monasterium, cui invitatus praeficitur. Post elapsam biennium, ex consensu episcopi Vintoniensis, munus abdicavit, et Romam profectus est, ut apostolica auctoritate ad gentium conversionem delegaretur. Cum ad Urbem pervenisset, a Gregorio secundo benigne excipitur, pro Winfrido Bonifatius a Pontifice nominatur. In Germaniam directus, Thuringiae Saxonique populis Christum annuntiavit. Cum interea Radbodus, Frisiae rex ac infestissimus christiani nominis hostis, occubuis-

set, Bonifatius ad Frisones rediit, ubi sancti Willibrordi socius per triennium tanto cum fructu Evangelium praedicavit, ut, destructis idolorum simulacris, innumerae vero Deo ecclesiae excitarentur.

**R.** Nihil vereor, nec facio animam meam pretiosorem quam me: \* Dummodo consummam cursum meum et ministerium verbi, quod accipi, alleluja. **V.** Deo meo devotus, aras daemum et simulacra evertere non desisto. **Dummodo.**

## Lectio vi

**A** sancto Willibrordo ad episcopale munus expetitus, illud detrectavit, ut promptius infidelium salutem instaret. In Germaniam profectus, plura Hassorum milia a daemone superstitione avocavit. A Gregorio Pontifice Romam evocatus, post insignem fidei professionem episcopus consecratur. Exinde ad Germanos redux, Hassiam et Thuringiam ab idololatriae reliquiis penitus expurgavit. Tanta propter merita Bonifatius a Gregorio tertio ad dignitatem archiepiscopalem eve-



hitor, et tertio Romam profectus a Summo Pontifice Sedis apostolicæ legatus constituitur. Qua insignitus auctoritate quatuor episcopatus instituit, et varias synodos celebravit, inter quas concilium Leptinense memorabile est, apud Belgas in Cameracensi diocesi celebratum, quo quidem tempore ad fidem in Belgio adaugendam egregie contulit. A Zacharia Papa creatus Moguntinus archiepiscopus, ipso Pontifice jubente, Pipinum in regem Francorum unxit. Post mortem sancti Willibrordi Ultrajectensem ecclesiam gubernandam suscepit, primo per Eobanum, deinde per seipsum, dum ab ecclesia Moguntina absolutus Ultrajecti resedit. Frisonibus ad idololatriam relapsis, Evangelium predicare rursus aggreditur, cumque officio pastorali occuparetur, a barbaris et impiis hominibus juxta Bornam fluvium cum Eobano coepiscopo multisque aliis cruenta caede peremptus martyrii palma condecoratur. Corpus sancti Bonifatii Moguntiam translatum, et, ut ipse vivens peterat, in Fuldensi mona-

stério, quod extruxerat, reconditum fuit, ubi multis miraculis inclauit. Pius autem nonus Pontifex Maximus, ejus Officium et Missam ad universam Ecclesiam extendit.

R. Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vite presentis delectatione corrigitur: \* Christi Dei mei legem, quam fidelibus annuntiavi, et inter tormenta custodio, alleluja. V. Ipsum semper colui, ipsum corde teneo, a quo me nemo poterit separare. Christi. Gloria Patri. Christi.

#### In III Nocturno

Ant. Honestavit illum Deus \* in laboribus, et complevit labores illum, quia eloquium Domini inflammabat eum, alleluja.

V. Laetitia sempiterna super capita eorum, alleluja. R. Gaudium et exultationem obtinebunt, alleluja.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

#### Homilia sancti Rabani Episcopi

Homilia in Natali S. Bonifatii  
Mart.

**N**on ignorare vos credo, fratres, hujus sanctissimi viri Bonifatii probatissimum agone ac celeberrimam victoriam, qui secundum Veritatis vocem beatitudinis octo precepta sequens, beatitudinem veram consecutus est. Nam Dominus dicit in Evangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Ecce, fratres, numquid non iste Sanctus pauper fuit spiritu, qui spontaneam paupertatem eligens, rebus propriis et patrimonio, cognatis et parentibus derelictis, huic mundo quasi mortuus perfecte renuntiavit: humiliter conversans, et nobiliter exsulans, et in peregrinatione solum Christum studuit lucrifacere, ut regnum celorum cum eo perpetualliter potuisset habere?

R. Servus meus es tu: elegi te, et non abjeci te: ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines: \* Quia ego Deus tuus, alleluja. V. Confortavi te, et auxiliatus sum tibi. Quia.

#### Lectio viii

**B**eati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hic utique mitis erat, quia nulli nocuit, nulli calumniam fecit, immo ab aliis sibi facta patientissime toleravit: maledicentibus sibi non maledixit, sed magis benedixit, et pro persecutoribus exoravit; ob hoc quoque cum sanctis Angelis terram viventium in aeternum possidebit. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et hic cum pauperibus Christi magis elegit tribulationem et pressuram in hoc mundo habere, quam cum divitibus hujus saeculi falsa laetitia ad tempus ridere, et postea in aeternum lugere. Nam cum ab Apostolica Sede Episcopus est ordinatus, et vice apostolica Legatus Germanicus ad Francorum gentem est destinatus, illud Psalmographi implevit testimonium, quod de praedicatoribus sancti Evangelii dictum est: Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos.

**R.** Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et liberas eos de manu angústiae, \* Dómine, Deus noster, allelúja. **V.** Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor factus es mihi. Dómine. Glória Patri. Dómine.

### Lectio ix

**B**eáti, qui esúriunt et sitiunt justítiam, quóniam ipsi saturabúntur. Hoc illi desidérium semper fuit, hæc esúries mentis, hæc sitis ánimæ, ut justificatiónis mandatórum Dómini in se custodíret, et áliis idem fácere persuadéret, ut Dómino cum Prophéta posset dicere: Ego autem cum justítia apparébo in conspéctu tuo: satiábor, dum manifestábitur glória tua. Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Et unde tantum labórem exsílíi prædicátor iste exímíus súbiit nisi quia misericórdiæ viscéribus instigátus aliórum damna ut sua dóluit? Et ideo de multórum correctiône misericórdiam sempitérnam coram óculis Dei invénit.

**T**e Deum laudámus.

### Ad Laudes

et per Horas

**Ant. 1** Replétus sum \* fortitúdone spíritus Dómini, ut annúntiem Jacob scelus suum, allelúja.

*Psalmi de Dominica 1 loco.*

**2** Collocávit me \* Dóminus cum princípibus pópuli sui, et dedit mihi testaméntum sacerdotíi ætérni, allelúja.

**3** Superabúndo gáudio \* in omni tribulatióne, allelúja.

**4** Verbum Dei \* non est alligátum: ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, allelúja.

**5** In protectiône \* viri sancti commorémur, et lætémur in benedictiône ipsius, allelúja.

**Capitulum** Is. 52, 7

**Q**uam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Siôn: regnábit Deus tuus.

### Hymnus

**C**áritas urget; male contumáces  
Increpas audax: Hóminem  
Deúmque

Prædicás Christum, nece qui piávit  
Crímína mundi.

**H**unc Deum, ligno crucis  
in probróso

Mórtuum rident; resonáre  
Christum

Non tamen cessas cúpidus  
vicíssim  
Fúndere vitam.

**F**ulda te jactat pia te Patrónum;

Nam focos, aras prior hic  
parásti;

Et tuos nobis cíneres amóris

Pígnora legas.

**Q**uam magis quondam  
pátriam fovébas,  
Nunc eam felix génius tu-  
ére;

**F**ac, fides nobis stábilis  
tuúsque  
Spíritus insit.

**G**lóriam Summæ Triadi  
canámus,

Cujus hos laudi módulos  
dicámus,

Ut Patris nostri méritis  
beátos

Det fore natos.

**A**men.

**V.** Ora pro nobis, sancte Bonifáti. **R.** Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

**Ad Bened. Ant.** Consi-  
stámus \* ad ejus sepúl-

crum et venerémur corpus  
miráculis gloriósum, dum  
spíritus ejus inter Sanctórum  
ágmina sine fine ex-  
súltat in caelis, allelúja.

### Oratio

**D**eus, qui multitudinem populórum beáti Bonifáti Mátyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

*Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et in ea ad absolutiorem Capituli Lectio brevis In memoria, ut infra ad Nonam 36\*.*

### Ad Tertiam

**Capit.** Quam pulchri, ut supra ad Laudes 34\*.

**R.** br. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, \* Allelúja, allelúja. **S**ancti. **V.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi. **A**llelúja, allelúja. **G**lória Patri. **S**ancti.

**V.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúja. **R.** Et ætérnitas témporum, allelúja.

### Ad Sextam

**Capit.** Eccli. 49, 2 et 3

**I**n omni ore quasi mel in-  
dulcábitur ejus memória,



Verus Pastor, oves, sanguine quas tuo  
Fecisti proprias, pasce bonus: regas  
Et nos, namque tui te sequimur ducem,  
Duc in pingua pasua.

Tuorum cinerum nos sumus et tuæ  
Custodes fidei: nos super excuba  
E cæli spiculo, et patriæ tua  
Nostræ subvenias prece.

Qui nos membra sacri corporis efficit,  
Sit laus summa Patri: Laus quoque Filio,  
Cujus membra sumus: Quo vigor influit  
Membris, laus tibi, Spiritus. Amen.

V. Ora pro nobis, sancte Bonifati. R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Hódie \* beátus Bonifátius fidéls minister fidem, quam prædicávit, sanguine confirmávit: hódie sacérdos sanctus suæ vitæ hóstiam Deo obtulit: hódie fortis athléta ab agóne evolávit ad palmam, allelúja.

## Oratio

Deus, qui multitudinem populorum beati Bonifati Martyris tui atque Pontificis zelo, ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es: concede propitius; ut, cujus sollempnia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Norberti Ep. et Conf.

Ant. Sacérdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum, allelúja.

V. Amávit eum Dominus, et ornávit eum, allelúja. R. Stolum glóriæ induit eum, allelúja.

## Oratio

Deus, qui beátum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem verbi tui præconem eximium effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fecundasti: præsta, quæsumus; ut, ejusdem suffragantibus méritis, quod ore simul et opere dócuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

Completerium de Dominica.

Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Noc-

turnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsorii de Tempore, in II et III Nocturno pro singulis diebus assignantur propriæ.

## Die 7 Junii

## Ss. Eobani, Adelarii et aliorum Sociorum sancti Bonifatii

## Martyrum

## Duplex

## In I Vesperis

V. Sancti et justi, in Domino gaudete, allelúja. R. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Lux perpétua \* lucébit Sanctis tuis, Domine, et æternitas téporum, allelúja.

## Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctorum Martyrum tuorum Eobani et Adelarii aliorumque sancti Bonifati Sociorum sollempnitate lætificas: concede propitius; ut, quorum gaudemus méritis, accendámur exemplis. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Norberti Ep. et Conf.:

Ant. Amávit eum Dominus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum, allelúja.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, allelúja. R. Et ostendit illi regnum Dei, allelúja.

## Oratio

Deus, qui beátum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem verbi tui præconem eximium effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fecundasti: præsta, quæsumus; ut, ejusdem suffragantibus méritis, quod ore simul et opere dócuit, te adjuvante exercere valeamus. (Per Dominum.)

Deinde Commemoratio Octavæ S. Bonifatii:


Ant. Hódie beátus Bonifátius, V. Ora et Oratio Deus, qui multitudinem, ut supra 38\*.

## Ad Matutinum

## In II Nocturno

## Lectio iv

E vitis S. Bonifatii per Willibaldum aliosque scriptis

um sanctus Præsul Bonifátius verbi divini sémina, quæ

intra Germániæ Galliæque confinia spârserat, in cõrdibus credéntium jam pululâsse, et fructum fâcere cerneret, necnon, vicinam cõrporis sui dissolutiõnem prænoscens, omni modo sitiret, quando veniret et appareret ante faciẽm Dei: decrevit adire Frisonum pópulos, olim ejus doctrina ac prædicatiõne ad christiãnam religiõnis cultum cõversos, põstea vero cõrpoꝛe quidem, sed non mente omisso, e quibus nonnullos, fallente diâbolo, ad pristinos gentiliũ errorẽs relâpsos esse cognõverat. Hos Deo reconciliãre et ad Ecclẽsiã grẽmium reducere cupiens, in ânimo habebat, in tam præclãra functiõne illic aut vitam fructuosã pace finire, aut, si id Deo magis placeret, pro ejus nãmине advẽrsa quãlibet et cruciãtus ipsãmq̃ mortem sustinẽre: ut, ubi primitus prædicatiõnis ministẽrium inchoãverat, ibi etiã, e sãculo exiens, remuneratiõnis æternã reciperet grãtiam.

R. Lux perpẽtua lucẽbit Sanctis tuis, Dõmine, \* Et æternitas tẽporum, allelúja, allelúja. V. Læ-

títia sempiterna erit super cãpita eõrum: gãudium et exultatiõnem obtinẽbunt. Et.

#### Lectio v

Ad hoc salutiferum opus perficiẽdum, zelatissimus Præsul viros quosdam sibi adjunxit, quorum fidem sanctosque mores et in perferendis apostolicæ vitæ labõribus atque ærumnis constantiam ac zelum ipse in latissimis Germániæ provinciis ad Christum convertendis dudum probãverat: Eõbanum scilicet, quem, ut senectuti suæ aliquid pararet levãmen, Ultrajectensibus Episcopum dederat; aliõsque plures, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Rheni igitur secundo flumine Ultrajectum descendentes, indeque in Frisiam delãti, perfidiam eõrum, qui a Christo defecerant, acriter perstrinxerunt, reliquos autem in fide constantes salutãri doctrina instruxerunt, sanctisque sacramentis confortarunt. Dum autem tam sancto õperi incumbunt, a nefariis et ingrãtis fidei hostibus ad unum omnes crudeliter trucidantur: numero quinquaginta

tres. Sicque Deo providente factum est, ut, quibus cor unum erat et anima una, eadem quoque esset palma martýrii et remuneratiõ triũphi.

R. In servis suis, allelúja, \* Consolabitur Deus, allelúja. V. Judicabit Dõminus pópulum suum, et in servis suis. Consolabitur.

#### Lectio vi

Paulo post cõrpora supra nominatorum Martýrum et aliõrum trẽdecim a fidelibus collecta, et in navem cum beãto Pontifice Bonifãtio immissa, felici gãudio cursuque prospero Trajectum usque pervenerunt. Illic cum hymnis et psalmõdiis devõte suscepta, et in ecclesia sanctæ Trinitãtis cum aliõrum quoque Sociõrum Martýrum cõrpora in eadem villa Dockinga, ubi palmam martýrii obtinuerunt, a fideli pópulo honorificæ sepulturæ mandãta sunt: in quo loco põstea, Christo propitio et regis Pipini jussu, in honõrem beatorum Martýrum extructa est ecclesia. Corpus vero sanc-

ti Bonifãtii per beãtum Lullum Fuldam, Eõbani autem et Adelãrii sacralipsana Erfordiam translãta sunt, ubi hodiẽque in æde Mariãna a Christifidelibus magna religiõne coluntur.

R. Filiæ Jerusalem, venite et videte Martýres cum coronis, quibus coronavit eos Dõminus \* In die sollemnitãtis et lætitiæ, allelúja. V. Quõniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In. Glõria Patri. In.

#### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Joãnnem

#### Lectio vii Cap. 15, 5-11

In illo tẽpore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis fãcere. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi

Tract. 81 in Joãnnem, sub medium

**N**e quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum pos-

se a semetípso pálmitem ferre, cum dixisset, Hic fert fructum multum; non ait, Quia sine me parum potéstis fácere; sed, Nihil potéstis fácere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia, etsi parum attúlerit palmes, eum purgat agrícola, ut plus áfferat; tamen, nisi in vite mánserit et vixerit de radíce, quantúmlibet fructum a semetípso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam grátiam palmítibus non præberet, nisi étiam Deus esset.

R. Ego sum vitis vera, et vos pálmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. V. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui.

#### Lectio viii

Verum, quia ita sine ista grátia non potest vivi, ut et mors in potestáte sit líberi arbitrii: Si quis in me, inquit, non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet; et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Ligna ita-

que vitis tanto sunt contemptibilióra, si in vite non mánserint, quanto gloriósióra, si mánserint. Dénique, sicut de his étiam per Ezechiélem Prophétam Dóminus dicit, præcísata nullis agricolárum úsibus prosunt, nullis fabrilibus opéribus deputántur. Unum de duóbus pálmítibus cóngruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit. Ut ergo in igne non sit, in vite sit.

R. Cándidi facti sunt Nazarái ejus, allelúja; splendórem Deo dedérunt, allelúja; \* Et sicut lac coaguláti sunt, allelúja, allelúja. V. Cándidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et. Glória Patri. Et.

#### Lectio ix

Si manséritis in me, inquit, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis. Manéndo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod cónvenit Christo? Quid velle possunt manéndo in Salvátore, nisi quod non est aliénium a salúte? Aliud quippe vólumus quia sumus in Christo, et áliud vólumus

quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansiône namque hujus sæculi nobis aliquándo subrépit, ut hoc petámus, quod nobis non expedíre nescimus. Sed absit, ut fiat nobis, si manémus in Christo, qui non facit quando pétimus, nisi quod expedit nobis.

Te Deum laudámus.

#### Ad Laudes

V. Pretiósia in conspéctu Dómini, allelúja. R. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Ad Bened. Ant. Filíæ Jerúsalem, \* veníte et vidéte Mártýres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollempnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

#### Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártýrum tuórum Eóbani et Adelárii aliorúmque sancti Bonifatii Sociórum sollempnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémpilis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Bonifatii:

Ant. Consistámus ad ejus sepúlcrum et venerémur corpus miraculis gloriósum, dum spíritus ejus in-

ter Sanctórum ágmina sine fine exsúltat in cælis, allelúja.

V. Ora pro nobis, sancte Bonifáti. R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

#### Oratio

Deus, qui multitudínem populórum, beáti Bonifátii Mártýris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

#### In II Vesperis

V. Pretiósia in conspéctu Dómini, allelúja. R. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sancti et justi, \* in Dómino gaudéte, allelúja: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Et fit Com. sequentis diei infra Octavam S. Bonifatii:

Ant. Gaude, Fulda, plaudite, Germánia, Patris tui et Apóstoli erudíta doctrínis, illustráta virtútibus, suffúlta patrocíniis, et in eo magnífica Dei magnália, allelúja.

V. Ora et Oratio Deus, qui multitudínem, ut supra.

Die 8 Junii  
De IV die infra  
Octavam S. Bonifatii

Semiduplex

In II Nocturno

Ex Epístola sancti Bonifatii ad moniales

Lectio iv

**S**citote, quia Deum laudamus, et tribulationes cordis nostri dilatatae sunt, ut Dominus Deus, qui est refugium pauperum et spes humilium, de necessitatibus nostris et de tentationibus hujus saeculi nequam eripiat nos, ut sermo Dei currat, et clarificetur gloriosum Evangelium Christi, et gratia ejus in me vacua non fiat; et quia ultimus et pessimus sum omnium legatorum, quos Catholica et Apostolica Romana Ecclesia ad praedicandum Evangelium destinavit, ut omnino sine fructu Evangelii sterilis non moriar, et vacuus filiarum numero non revertar, nec de abscondito talento, Domino veniente, reus esse iudicer, nec peccatis exigentibus, vice laboris pro mercede ultionem infructuosi laboris accipiam ab eo,

qui misit me. Multi enim, quos oves in futuro iudicio ad dexteram Christi ponendos fore censebam, versa vice putidae et petulcae et ad sinistram statuendae capellae esse dignoscuntur.

**R.** Accinge fortitudine lumbos tuos, et surge et loquere omnia, quae ego praecipio tibi: \* Exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum et domui Israel peccata eorum, alleluja. **V.** Ecce, dedi verba mea in ore tuo, ut evellas, et destruas, et aedifices et plantes. **Exalta.**

Lectio v

**E**t pietatem Domini precamini, ut spiritu principali confirmet cor meum Deus, qui me indignum pastorem in populo vocari voluit, ut lupo veniente, more mercennarii non fugiam, sed exemplo boni pastoris agnos pariter cum matribus, Ecclesiam scilicet catholicam cum filiis et filiabus suis, contra haereticos et schismaticos vel hypocritas fideliter ac fidecialiter defensare studeam. Praeterea, quia dies mali sunt, nolite esse imprudentes, sed intelligentes, quae sit voluntas Dei.

Quam ob rem vigilate et state in fide et viriliter agite et confortamini. Omnia vestra cum caritate fiant. Juxta Psalmistam multae sunt tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus. Recordamini sanctorum Apostolorum et Prophetarum, quia multum laboraverunt in Domino: ideo adepti sunt praemia sempiterna.

**R.** Nihil vereor, nec facio animam meam pretiosorem quam me: \* Dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accipi, alleluja. **V.** Deo meo devotus, aras daemorum et simulacra evertere non desisto. **Dummodo.**

Ex Epístola sancti Bonifatii ad Nidhard presbyterorum

Lectio vi

**R**esuscitate festines gratiam ingenii naturalis, quae in te est, liberalium scientiam et divini intellectus fragrantem spiritualliter ignem aquoso luto et humido terranae cupiditatis pulvere non extinguas, sed memor Psalmigraphi, de beato viro senten-

tiam proferentis: In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte, et alibi: Quomodo dilexi legem tuam, Domine: Tota die meditatio mea est: et Moysis in Deuteronomio: Non recedat liber legis de ore tuo, et meditaberis in ea diebus ac noctibus omnibus, studium sacrarum litterarum omni mentis intentione sequi nitaris, et inde gloriosae ac verae pulchritudinis venustatem acquirere, id est divinam sapientiam, quae est splendidior auro, speciosior argento, pretiosior topazio. Quid enim, frater christiane, a juvenibus decentius quaeritur? aut quid a senibus demum sobrius possidetur, quam scientia scripturarum sacrarum, quae sine ullo naufragio periculosae tempestatis navem animae nostrae gubernans deducit ad amoenissimi litus paradisi et ad perpetua superna gaudia Angelorum, de qua supra dictus sapiens: Sapientia vincit malitiam; attingit usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.

**R.** Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vitae praesentis delectatione

corrigitur: \* Christi Dei mei legem, quam fidelibus annuntiavi, et inter tormenta custodio, allelúja. **V.** Ipsum semper colui, ipsum corde téneo, a quo me nemo póterit separare. Christi. Glória Patri. Christ.

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

**I**n illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Rabani Episcopi

Homil. in Natali S. Bonifatii Mart.

**B**eati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Mundus corde fuit, qui tantum lumen sapientiae in mente habuit; unde alibi scriptum est: Anima justi sedes est sapientiae. Qui autem sapientiam veram possidet, frustrari Dei conspectu nullatenus potest. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Pacem iste Martyr primitus in semetipso fecit, cum omnes motus carnis suae

spiritus imperio subjugavit, et sic verbum reconciliationis aliis praedicavit, unde, et peccati regno destructo, multos filios per baptismum et praedicationem Evangelii Deo acquisivit.

**R.** Servus meus es tu: elégi te, et non abjeci te: ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines: \* Quia ego Deus tuus, allelúja. **V.** Confortávi te, et auxiliatus sum tibi. Quia.

## Lectio viii

**B**eati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Persecutionem igitur propter justitiam non solum a paganis, immo etiam ab haereticis et schismaticis, necnon a falsis Christianis passus est sanctus Bonifatius, qui eum validis insectabantur odiis, vituperationibus et conviciis laniabant, atque insidiis dispósitis, interficere saepissime cogitabant; sed Dominus illum protegébat, ut Evangelii seminarium latius cresceret. Novissime vero, cum Frisonum genti verbum Dei praedicaret, cum palma martyrii ad Dominum migravit.

**R.** Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustententes te, et liberas eos de manu angustiae, \* Domine, Deus noster, allelúja. **V.** Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor factus es mihi. Domine. Glória Patri. Domine.

## Lectio ix

**E**cce, audistis, fratres carissimi, per singulas species beatitudinis, qualiter iste sanctus Antistes Dei et martyr proficiebat, et ad quam perfectionem perveniebat. Imitemur nos, qui alumi ejus sumus, pro modo nostro profectum ejus; sequamur monita illius, et sic, Deo opitulante, perveniamus ad praemium ejus. Laudemus in Domino animam ipsius, quia modo cum sanctis Angelis laetatur in conspectu ejus. Honoremus etiam corpus illius, quia pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Commoremur passionem ejus, et sic in loco reliquiarum illius celebremus gloriam triumphi ejus. Non enim aram constituimus tamquam Deo Bonifatio, sed vero Deo aram fecimus Bonifatium, quia

sedes utique Dei est anima ipsius: ad cujus gaudium per orationem illius nos pervenire posse concedat, qui illum triumpharat, Jesus Christus, Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu Sancto Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

In II Vesperis fit Commemoratio Ss. Primi et Feliciani Mm., ut in Breviario.

## Die 9 Junii

## De V die infra Octavam S. Bonifatii

Semiduplex

In II Nocturno

Ex Epistola sancti Bonifatii ad sanctum Zachariam Summum Pontificem

## Lectio iv

**I**st locus silvaticus in eremo vastissimae solitudinis, in medio nationum praedicationis nostrae, in quo monasterium construentes monachos constituimus sub regula sancti Patris Benedicti viventes, viros strictae abstinentiae, absque sicera et servis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum supra



díctum per viros religiósos et Deum tímētes, máxime Carolománnum, quondam Príncipem Francórum, justo labóre acquisívi et in honórem Sancti Salvatóris dedicávi. In quo loco cum consénsu Pietátis Vestrae propósui, aliquántulum vel paucis diébus fessum senectúte corpus requiescēdo recuperáre et post mortem jacére. Quátuor enim pópuli, quibus verbum Christi per grátiam Dei díximus, in circúitu loci hujus habitáre dignoscúntur. Quibus cum Vestra intercessióne, quám diu vivo vel sapio, útilis esse possum. Cúpio enim Vestrís oratióibus, comítante grátia Dei, in familiaritáte Románæ Ecclesiæ et Vestro servítio inter Germánicas gentes, ad quas missus fui, perseveráre et præcepto Vestro obœdíre.

**R.** Accíge fortitúdine lumbos tuos, et surge et loquere ómnia, quæ ego præcipio tibi: \* Exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum et dómu Israel peccáta eórum, allelúja. **V.** Ecce, dedi verba mea in ore tuo, ut evéllas, et déstruas, et ædífices et plantas. **Exálta.**

Ex Epístola sancti Bonifátii ad Fuldrádu presbýterum, sacellánium Pípi Regis

Lectio v

**P**ropterea déprecor Cel-sitúdinem Regis nostri, pro nómine Christi, Filii Dei, ut mihi nunc virénti indicáre et mandáre dignétur circa discipulos meos, qualem mercēdem póstea de illis fácere volúerit. Sunt enim pæne omnes peregríni, quidam presbýteri, per multa loca ad ministérium Ecclesiæ et populórum constitúti, quidam mónachi per células nostras, et infántes ad legéndas líteras ordináti, et áliqui senióres, qui longo témpore mecum vivéntes laboravérunt et me adjuvábant. De his ómnibus sollicitus sum, ut post óbitum meum non disperdántur, sed ut hábeant mercédís Vestrae consílium et patrocínium Cel-sitúdinis Vestrae et non sint dispérsi sicut oves non habéntes pastórem, et pópuli prope marcam paganórum Saxóniam non perdant legem Christi.

**R.** Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me: \* Dúm-

modo consúmmem cursum meum et ministérium verbi, quod accépi, allelúja. **V.** Deo meo devótus, aras dáemonum et simulácrá evértere non desisto. **Dúm-**modo.

Lectio vi

**P**ropterea Almitátis Vestrae cleméntiam diligénter in Dei nómine déprecor, ut filíolum meum Lullum et Coepiscopum, si Deus volúerit et sic Cleméntiæ Vestrae pláceat, in hoc ministérium populórum et ecclesiárum componere et constitúere faciátis prædicatórem et doctórem presbyterórum et populórum. Et spero, si Deus volúerit, quod in illo hábeant presbýteri magistrum et mónachi regulárem doctórem et pópuli christiáni fidélem prædicatórem et pastórem. Propterea hoc máxime fieri peto, quia presbýteri mei prope marcam paganórum paupérculam vitam habent. Panem ad manducándum acquirere possunt, sed vestiménta sibi invenire non possunt, nisi aliúnde consílium et adiutoriú hábeant, ut sustinere et perduráre in illis locis ad ministérium pó-

puli possint, eódem modo sicut ego illos adjúvi.

**R.** Nec tormentis frángitur mea confessio, nec vitæ præsentis delectatióne corrigitur: \* Christi Dei mei legem, quam fidélibus annuntiávi, et inter tormenta custódio, allelúja. **V.** Ipsum semper cólui, ipsum corde téneo, a quo me nemo póterit separáre. **Christi. Glória Patri. Christi.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

**I**n illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedisset, accessérunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi

Lib. 1 de Serm. Dom. in monte

**S**i quæritur, quid significet mons, bene intelligitur significáre majóra præcepta justítiæ, quia minóra erant, quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus persancitos Prophétas et fámulos suos, secúndum ordinatissimam distributióem témporum, dedit minóra præcepta pópulo, quem adhuc

timóre alligári oportébat: et per filium suum majóra pópulo, quem caritate jam liberáre convénerat.

R. Servus meus es tu: elégi te, et non abjéci te: ne timeas, quia ego tecum sum, ne declínes: \* Quia ego Deus tuus, allelúja. V. Confortávi te, et auxiliátus sum tibi. Quia.

Lectio viii

Cum autem minóra minóribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruentem suis temporibus géneri humano exhibére medicinam. Nec mirum est, quod dantur præcepta majóra propter regnum cælórum, et minóra data sunt propter regnum terrénum, ab eódem uno Deo, qui fecit cælum et terram. De hac ergo justítia per prophétam dicitur: Justítia tua sicut montes Dei: et hoc bene significat, quod ab uno magístro, solo docéndis tantis rebus idóneo, docétur in monte.

R. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dómine, quóniam éruis sustinéntes te, et liberas eos de manu angústia, \* Dómine, Deus noster, allelúja. V. Confitébor nómini tuo,

quóniam adjútor factus es mihi. Dómine. Glória Patri. D ómine.

Pro Ss. Primo et Feliciano Mm.

Lectio ix

Primus et Feliciánus fratres, in persecutióne Diocletiáni et Maximiani accusáti christiánæ religiõnis, in víncula conjiciuntur; quibus solúti, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad prætorem addúcti, cum christiánam fidem acérrime tueréntur, alter ab áltero distrácti sunt; ac primum várie tentáta est constántia Feliciáni. Sed, cum suasóres impietátis se posse quidquam verbis proficere desperárent, affixis stípti mánibus ejus et pédibus, ipsum sine cibo et potu inde trídium pendéntem reliquerunt. Postridie ejus diéi prætor vocátum ad se Primum sic affátur: Vides, quanto sit prudéntior quam tu frater tuus, qui, obsecútus imperatóribus, apud ipsos est honorátus? Quem si tu quoque imitári volúeris, párticeperis ejus honoris et grátia. Cui Primus: Quid factum sit fratri meo, cognóvi ex Angelo. Utinam, quemádmódum sum cum eo voluntá-

te conjunctíssimus, sic ab eódem ne martyrio disjúngar. Quo dicto excánduit prætor, et ad ceteros cruciátus, quibus Primum affécit, præsenté jam Feliciáno, liquátum igne plumbum in os ejus jussit infúndi. Mox utrúmque perdúci ímpérat in theátrum, in eosque immítti duo leónes; qui, prostráti ad eórum génua, cápite et cauda ipsis blandiebántur. Ad id spectáculum cum ámplius duódecim mília hóminum conveníssent, quingénti cum suis familiis christiánam religiõnem suscepérunt. Quibus rebus permótus prætor eos secúri pércuti jussit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit Commemoratio Ss. Primi et Feliciani, ut in Breviario.

Die 12 Junii

In Octava S. Bonifatii  
Ep. et Mart.

Duplex majus, sed ad módum Simplicis recolendum

De die Octava fit tantum Commemoratio in Vesperis et Laudibus, ut supra in Festo 28\*, resp. 35\* et 38\*.

Die 13 Junii

S. Feliculae

Virginis et Martyris

Commemoratio

Ad Vesperas

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

V. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. R. Inténde, prospere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctam Feliculam Virginem tuam glorióso martyrio felicem effecísti: concéde supplicibus tuis; ut ejus sollemnia celebrántes in terris, ætérnam felicitátem consequámur in cælis. Per Dóminum.

Ad Laudes

Ant. Simile est regnum cælórum hómini negotiátóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. R. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

## INDEX ALPHABETICUS

	PAG.
Bonifatii Ep. et Mart., Patroni principalis Diœcesis, duplex I classis cum Octava communi. 5 Junii . . . . .	26*
— — De IV die infra Octavam, semiduplex. 8 Junii . . . . .	44*
— — De V die infra Octavam, semiduplex. 9 Junii . . . . .	47*
— — Octava, duplex majus. 12 Junii . . . . .	51*
Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris, duplex. 15 Martii . . . . .	15*
Cunigundæ Virginis, duplex. 3 Martii . . . . .	10*
Eobani, Adelarii et aliorum Sociorum sancti Bonifatii Mar- tyrum, duplex. 7 Junii . . . . .	39*
Feliculæ Virg. et Mart. Commemoratio. 13 Junii . . . . .	51*
Godehardi Ep. et Conf. Commemoratio. 4 Maji . . . . .	19*
Gregorii II Papæ et Conf., duplex. 13 Febr. . . . .	3*
Joannis Nepomuceni Martyris, duplex majus. 16 Maji . . . . .	20*
Mathildis Reginae, Viduæ, duplex. 14 Martii . . . . .	13*
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis . . . . .	19*
Valentini Ep. et Mart., duplex. 14 Febr. . . . .	6*
Walburgæ Virginis Commemoratio. 1 Maji . . . . .	19*
Zachariæ Papæ et Conf. Commemoratio. 15 Martii . . . . .	15*